

Zeitschrift: Divus Thomas
Band: 9 (1922)

Artikel: Epistola Encyclica
Autor: [s.n.]
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-762442>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 06.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

EPISTOLA ENCYCLICA

ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes:
de DCC natali sancti Dominici celebrando.

Benedictus PP. XV

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Fausto appetente die, cum, abhinc septingentis annis, illud sanctitatis lumen, Dominicus ex his miseriis excessit ad sedes beatorum, Nobis, qui iamdiu sumus in clientibus ipsius perstudiosis, maxime ex quo Ecclesiae Bononiensis, quae eius religiosissime colit cineres, inivimus gubernationem, Nobis, inquimus, valde libentibus contingit posse ex hac Cathedra Apostolica christianum populum hortari ad memoriam sanctissimi viri celebrandam: quo ipso non solum pietati Nostrae satisfacimus, verum etiam magno quodam grati animi officio erga et Patrem legiferum et inclytam eius familiam perfungi videmur.

Etenim ut is plane homo Dei verissimeque Dominicus, sic totus Ecclesiae sanctae fuit, quae invictissimum fidei propugnatorem ipsum habet: qui autem ab eo conditus est Ordo Praedicatorum, praeclarum semper Romanae Ecclesiae praesidium exstitit. Quamobrem non modo *in diebus suis corroboravit templum*¹, sed defensionis eius perpetuitati Dominicus consuluit; ut, quae Honorius III, ratum habens Ordinem, edixit: „ . . . attendentes fratres ordinis tui futuros pugiles fidei et vera mundi lumina“, ea ut vates cecinisse videatur.

Profecto, ut omnes norunt, ad propagandum Dei regnum nullo alio instrumento usus est Jesus Christus, nisi praedicatione Evangelii, id est viva suorum voce praeconum, qui caelestem doctrinam usquequaque diffunderent; *Docete*, inquit, *omnes gentes*². — *Praedicate Evangelium omni creaturae*³.

¹ Eccli. I, 1.

² Matth. XXVIII, 19.

³ Marc. XVI, 15.

Itaque ex Apostolorum, maximeque S. Pauli, praedicatione, quam Patrum deinceps Doctorumque institutio et disciplina est subsecuta, factum est, ut hominum mentes veritatis lumine illustrarentur animique virtutum omnium amorem conciperent. Hanc ipsam omnino rationem adhibens ad animarum salutem Dominicus, id sibi suisque proposuit, *tradere aliis contemplata*; ob eamque rem, una cum officio et paupertatem et vitae innocentiam et religiosam disciplinam colendi, sanctum et sollemne iussit esse suo Ordini, sedulo incumbere in studia doctrinae et in praedicationem veritatis.

Iam vero in dominicana praedicatione haec tria, tamquam insignia, eluxerunt: magna quaedam doctrinae soliditas, plenum fidelitatis erga Sedem Apostolicam obsequium, pietas in Virginem Matrem eximia.

Quamvis enim mature se Dominicus natum sentiret ad praedicandum, tamen non id muneris suscepit, nisi cum in Palentino Athenaeo philosophiae ac theologiae multam dedisset operam, diuque in sanctorum Patrum studio versatus, iis ducibus atque magistris, Scripturae sacrae divitias, praecipueque Pauli, in suum tamquam succum et sanguinem convertisset.

Quantum is rerum divinarum scientia valeret, non multo post perspicui licuit, in eius disputationibus adversus haereticos, quos quidem ad oppugnanda Fidei dogmata omnibus artibus et fallaciis armatos, tamen mirabile erat quam strenue convinceret ac refutaret. Idque Tolosae maxime apparuit, in urbe scilicet quae tum princeps et caput haeresum habebatur, quo doctissimus quisque adversariorum convenerat. Memoriae proditum est, ipsum cum primis sodalibus, opere atque sermone potentibus, insolentiae haereticorum invictum restitisse: quin eorum non solum cohibuisse vim, sed animos etiam eloquentia et caritate sic mitigasse, ut ingentem numerum in sinum Ecclesiae matris revocaret. Cui pro Fide dimicanti, Deus ipse praesentissimus aderat: ut cum, accepta, quam haeretici dederant, condicione ut suum quisque librum igni traderet, combustis ceteris, unus ipsius liber intactus a flamma inviolatusque permansit. Ita, Dominici virtute, Europa Albigenis haeresis periculo liberata est.

Hac autem solidae doctrinae laude ipsos suos filios ornatos esse iussit. Etenim, vixdum approbato ab Apostolica Sede suo Ordine, ac nobili Praedicatorum appellatione eidem

confirmata, is religiosas suas domos quam proximas celeberrimis studiorum Universitatibus condere instituit, quo et facilius eius alumni se omni disciplinarum genere excolerent, et plures ex bonarum artium studiosis novae huic familiae sese adiungerent. Itaque dominicanum institutum iam inde ab initio tamquam insignitam doctrinae notam praesetulit: eiusque hoc velut proprium opus munusque semper fuit variis errorum malis mederi et christianae fidei lumen diffundere, quandoquidem nihil tam obstat sempiternae saluti quam veritatis ignoratio opinionumque perversitas. Non mirum est igitur, si omnium oculos animosque ad se convertit huius nova vis apostolatus, quae quum Evangelio doctrinisque Patrum niteretur, tum cognitionum omnis generis copia commendabatur.

Atque ipsa quidem Dei sapientia per dominicanos sodales loqui visa est, cum in eis magni illi christianae sapientiae praecones et defensores eminebant, Hyacinthus Polonus, Petrus Martyr, Vincentius Ferrerius, item homines ingeniis praestantes disciplinisque optimis eruditissimi, ut Albertus Magnus, ut Raymundus de Peñafort, ut Thomas Aquinas, quo maxime Dominici alumno vere Deus *Ecclesiam suam illuminare dignatus est*. Quare hic Ordo, cum permagni semper sit habitus ob magisterium veritatis, tum vero egregiam laudem adeptus est, cum Thomae doctrinam Ecclesia suam propriam edixit esse, eundemque Doctorem, singularibus Pontificum praeconiis honestatum, magistrum scholis catholicis dedit et patronum.

Cum hoc autem tanto studio retinendae tuendaeque Fidei summum in Dominico cohaerebat obsequium erga Apostolicam Sedem. Sic enim accepimus provolutum ad pedes Innocentii III, eum se defensionem Romani Pontificatus devovisse, eidemque decessori Nostro, postera nocte, in somnis visum esse inclinatum Basilicae Lateranensis molem suis humeris animosum sustinere. — Illud etiam, historia teste, scimus, cum primos disciplinae suae alumnos ad christianam perfectionem informaret, cogitasse Dominicum de colligenda ex piis religiosisque laicis quadam sacra militia, quae simul Ecclesiae iura defenderet, simul haeresibus fortiter repugnaret. Hinc illi profectus est dominicanorum Ordo Tertius, qui quidem, perfectioris vitae institutum in saecularibus vulgando, permagna paraturus erat Ecclesiae matri et ornamenta et praesidia.

Tradita autem a legifero Patre, venit ad filios tantae cum hac Cathedra coniunctionis hereditas. Quotiescumque igitur ob infatuatas erroribus mentes hominum factum est, ut vel populorum motibus vel principum iniuriis laboraret Ecclesia, habuit haec Apostolica Sedes in dominicanis sodalibus, qui, patrocinium et veritatis et iustitiae suscipientes, peropportuno sibi adiumento essent ad suae conservandum splendorem auctoritatis. Nam quis ignorat quam se praeclare gesserit in hoc genere dominicana illa virgo, Catharina Senensis, quae, urgente caritate Jesu Christi, difficultates incredibiles eluctata, Summo Pontifici persuasit — quod nemo alius potuerat — ut ad suam Romanam Sedem, LXX annorum intervallo, reverteretur; quaeque deinde, dum Occidentalis Ecclesia diro schismate lacerabatur, magnum christifidelium numerum in fide et obsequio legitimi Pontificis retinuit?

Atque, ut cetera omittamus, non est praetereundum ex dominicanis sodalibus Pontifices Romanos magni nominis exstitisse quattuor; quorum postremus, sanctus Pius V, immortaliter de re christiana civilique meritus est; qui cum, magna instantia atque hortatu, catholicorum principum arma sibi societate adiunxisset, apud Echinadas insulas, Turcarum opes in perpetuum profligavit, auspice atque adiutrice Virgine Deipara, quam propterea *Auxilium Christianorum* deinceps salutari iussit.

In quo luculenter id etiam ostenditur, quod diximus exstare tertium in praedicatione dominicanorum: pietas erga magnam Dei Matrem studiosissima. Naupactensem enim victoriam divinitus cognovisse Pontifex perhibetur eo temporis articulo fieri, dum per orbem catholicum piorum sodalitates Mariam sanctissimi Rosarii implorabant formulâ, quam ipse Praedicatorum Parens invenerat, per suosque alumnos deinceps longe lateque propagandam curaverat. Etenim Virginem beatissimam cum matris loco diligeret, eius maxime patrocínio confisus, Dominicus ad Fidei causam agendam aggressus est. Itaque, adversus Albigenses haereticos, qui cum alia Fidei capita, tum divinam maternitatem virginitatemque Mariae omnibus contumeliis insequabantur, ille, horum dogmatum sanctitatem pro viribus tuendo, auxilium ipsius Virginis Matris invocabat, ea saepissime verba usurpans: „Dignare me laudare te, Virgo sacrata; da mihi virtutem contra hostes tuos.“ Quam grate autem complexa sit caelorum

Regina pientissimum servum, ex eo facile colligitur, quod huius ministerio usa est, ut sanctissimum Rosarium Ecclesiam, Filii sui sponsam, edoceret: illam precationem scilicet quae cum simul voce et mente fiat — mysteriis religionis potissimis contemplandis, dum oratio dominica quindecies totidemque decades salutationes Mariae iterantur — accommodatissima est ad pietatem omnemque virtutem vulgo alendam et excitandam. Iure igitur suis alumniis praecepit Dominicus ut, Dei verbum populis tradentes, in hac orandi forma audientium animis inculcanda saepe studioseque versarentur, cuius exploratissimam haberet utilitatem. Probe enim noverat Mariam ex una parte quidem tantum auctoritate apud Filium divinum posse, ut is, quidquid gratiarum hominibus confert, illa semper administra et arbitra conferat, ex altera autem tam benignae clementisque esse naturae ut, cum ultro solita sit miseris succurrere, omnino nequeat opem postulantibus recusare. Itaque eam, qualem consuevit Ecclesia salutare *matrem gratiae matremque misericordiae*, talem semper, Rosario praesertim adhibito, experta est; qua re Romani Pontifices nullam umquam occasionem usque adhuc omiserunt, quin Mariale Rosarium summis laudibus efferrent, atque Apostolicae Indulgentiae muneribus locupletarent.

Iam vero dominicani instituti — ut ipsi intelligitis, venerabiles fratres — non minor est hoc tempore quam ipsius Auctoris aetate opportunitas. — Quam multi hodie sunt, qui pane vitae, id est caelesti doctrina, destituti, tamquam inedia consumuntur; quam multi, quos, veri specie deceptos, magna errorum varietas avertit a Fide: quorum omnium necessitatibus ut congruenter sacerdotes, verbum Dei ministrando, subveniant, quantopere ipsos tum alienae salutis cupidos, tum vero solida rerum divinarum scientia instructos esse oportet. Quot etiam ingrati et immemores Ecclesiae filii, a Jesu Christi Vicario, vel rerum ignorance vel mala voluntate aversi sunt, quos ad communis Parentis sinum opus est adduci. Ad ista vero aliaque omne genus mala huius saeculi sananda quantum materno Mariae patrocinio indigemus?

Habent igitur dominicani sodales paene immensum sibi campum, in quo utilissime pro communi salute contendant. Quare omnibus, quotquot huius disciplinae sunt, magnopere auctores sumus, ut in his sollemnibus saecularibus suos animos quodammodo renovent ad sanctissimi Conditoris

exemplum, seque tali patre instituant cotidie digniores. Ceteris nimirum in hoc antecedent, ut est consentaneum, filii eius ex primo Ordine, iique posthac vel alacriorem dabunt operam eiusmodi praedicationi divini verbi, unde in hominibus, cum obsequio erga beati Petri successorem ac pietate in Virginem Matrem, cognitio crescat tuitioque veritatis. Sed a Tertiariis quoque sodalibus dominicanis plurimum utilitatis expectat Ecclesia, si quidem ad Patriarchae sui spiritum sese diligentius accommodare studuerint, rudes videlicet imperitosque de plebe christianae doctrinae praeceptis instruendo. In quo ut multi illi assiduique sint, cupimus et optamus; res enim agitur maximi ad animarum bonum momenti: Denique universis Dominici Patris alumni hoc volumus peculiari esse curae, ut usquequaque Mariali Rosario populus christianus assuescat; quod quidem eum Nos, decessorum Nostrorum, in primisque fel. rec. Leonis XIII, vestigia persecuti, per occasionem hortati sumus, vehementerque, in his temporum acerbitatibus, hortamur: idque si feliciter evenerit, huius saecularis memoriae celebritatem satis fructuosam fuisse putabimus.

Auspicem interim divinorum munerum ac benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem vobis, venerabiles fratres, vestroque clero ac populo amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIX iunii, in festo Apostolorum Principum, anno MCMXXI, Pontificatus Nostri septimo.

BENEDICTUS PP. XV

(Acta Apostolicae Sedis, Anno XIII, Vol. XIII, p. 329–335).

ZUR ENZYKLIKA „FAUSTO APPETENTE DIE“.

I.

Das Rundschreiben vom 29. Juni 1921 ist nicht nur ein geschichtliches Denkmal, das sich der verewigte Papst selbst errichtet, sondern gleichsam ein Testament, das er als oberster Lehrer der Kirche für alle Zeiten hinterlassen hat. Damit ist die Hoffnung in Erfüllung gegangen, die der gelehrte Präfekt der Studienkongregation¹ Kardinal

¹ Divus Thomas III (1916), p. 17; I (1914), p. 257f.